

sed nec tibi manifestum est, cuius erunt, virum heredis, an peregrini; amici, an inimici, quod ipsum etiam merorem adaugeat.

74. Paulin.

Secundò. D. Paulinus Epistol. 31. consumpta iam vita, de vitæ apparatus cogitanti dictum est: stulte, hac nocte expulsiabitur anima tua: quæ parasti, cuius erunt? Cui thesauris, ignorant, qui nolunt intelligere, cui debeant thesauros suos: digni, qui nesciant, quo successore, dimittant, quia nesciunt, quo largitore possideant. Cur non habet homo oculos, ut videat, ad quem bona illius deuenient? Qui in bonis obtentis Deum penitus ignorauit auctorem, ut pro acceptis donis illi gratias referret, merito sic & punitur, ut ignoret successorem; qui in suis prouentibus Deum non cognoscit auctorem; sic cæcus efficitur, ut illorum fluxum, ac euentum non videat.

75.

Tertiò. In hoc colloquio cū diuite maxime hic resplendet diuinæ bonitatis excellentia. Poterat nullo sermone habito cum diuite, ab eo animam repetere, æternisque cruciatibus illum relegare, in ipsa eius cogitatione. Habes multa bona anima mea. Eum libitò artipere, tamen voluit cum eo habere sermones, nam diuitem irridet, stulte; & minatur ei mortem, animam tuam repetet à te. Suorumque bonorum absconditum euentum ei proponit, & quæ parasti cuius erunt? Dat diuiti spatium penitentia, ut cum ipse instantem mortem audit, respiciat, ac ad penitentiam confugiat, quod cum non facit, in æternam labitur damnationem.

Dem dat locum penitentia.

76.

Post peccatum primorum parentum, cum ipsi audissent vocem Domini deambulantis in paradiso. Genes. 3. num. 7. Ad quid Deus, qui ambulat super pennas ventorum, qui in instanti totum præuolat spatium, venit deambulans tanquam morose, ac paulatim gressus suos dirigens? Nonne conuenientius videbatur, statim post peccatum illos subito conuenire, ut sine mora de suo delicto redarguerentur? Deambulauit Deus ex sua intima pietate moras interponens, ut eis penitentia daret locum. Hugo de sancto Victore; Ecce, inquit, quanta est misericordia Dei, non vult eos subito conuenire de sua culpa, ne amissa verecundia inuerecundi fiant, & perrinaces, sed dat eis locum penitentia, & consilij, unde deambulat, ut audiant, & sic fiant ipsius Dei memores.

Hugo.

Luc. 11. n. 21. Sic est, qui sibi thesaurisat, & non est in Deum diues.

VERSIONES.

- Syriacus. Ita est qui reponit sibi thesauros: & in Deo non est diues.
Arabicus. Sic qui sibi congregat bona, & non est apud Deum diues.
Euthym. Sic qui sibi recondit, nec apud Deum ditescit.
Arius. Sic thesaurisans sibi ipsi, & non in Deum ditescens.
Theophylact. Sic qui recondit sibi, nec est erga Deum diues.

EXPOSITIO V.

77.

IC est. Accommodat Dominus similitudinem suo proposito, ac intentioni. Sic est.

Talem nempe fortitur euentum, taliæque eueniunt ei. Beda. Stultus est, & in nocte rapiendus, qui reponit sibi thesauros: qui omni affectu reponit, ac accumulatur suas diuitias, ac bona sibi soli, suisque tantum vñibus, ut illis fruatur. Non est in Deum diues. Quid autem sit diues in Deum est inquirendum. Primò, & valde gennine. Ille est diues in Deum, qui bona opera, virtutes, tanquam aurum, & argentum congregat. Vnde ait Euthym. Diuitia secundum Deum sunt acquisitio virtutum. Sic. 1. Timoth. 6. num. 17. & 18. Præcipe, ait, diuitibus huius sæculi, non sublimè sapere, non sperare in incerto diuitiarum; sed in Deo viuo; bene agere, diuites fieri in bonis operibus, &c. Pro quo nos habemus. Diues in Deum, legunt Vatabl. Euthym. discedens in Deum. Ac sic ab huiusmodi virtutum diuitiis nunquam Christianus cessare debeat.

Beda.

Euthym. 1. Timoth. 6.

Vatabl. Euthym.

78.

Secundò. Diues in Deum est ille, qui in Deo totam suam spem habet, in eumque amorem suum defigit, totusque ab eo dependet, in eoque conquietescit. Glossa. In Deum diues est, ait, cuius expectatio Dominus est, cuiusq; substantia est apud Deum. Theophylactus. Audiamus, inquit, ut diuites fiamus in Deum, hoc est, ut illo fiduciam habeamus, & ille habet nostras diuitias, & diuitiarum cellam. Nec dicamus bona nostra, sed bona Dei si autem Dei sunt bona, ne priuemus Deum bonis suis. Hoc est dicari in Deo, credere, quod si omnia dederit, & euacuauerit me totum, non me aliquid futurum est. Tertiò dicitur. Diues in Deum. Qui bona sua pauperibus elargitur, quod enim eis sit, Deus sibi factum reputat, & æstimat. Beda. Qui vult in Deum esse diues, non sibi thesaurisat, sed pauperibus possessa distribuat. Ex his expositionibus hunc colliges sensum, qui sibi soli thesaurisat, ac congregat, non est in Deo diues, cum non habeat opera bona, & virtutes, nec fiduciam in Deum, nec eleemosinas in pauperes.

Beda.

Beda.



CAPVT XXII.

Lumbi præcincti.

Luc. 12. n. 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.

VERSIONES.

- Tertull. lib. 4. Succincti lumbi vestri. contra Marci. cap. 29.
S. Prosper de Accincti lumbi vestri. Prædit. p. 2. cap. 18.
Syriac. Vatabl. Et accensæ lucernæ vestre.
D. Cyrill. lib. de Lucernæ ardentes, & cal. Adoratione in ciati in pedibus vestris. spiritu.

EXPOSITIO I.

IC cap. 12. refert D. Lucas admirabilem Christi sermonem, quo docuit omnem auaritiam,

tiam, anxiam caducarum rerum sollicitudinem esse fugiendam, eleemosinam largiter exhibendam, quæ omnia satis late explicauit ad cap. 6. Matth. tom. 2. c. 16. & 17. Nunc verò consequenter docet, ut sint expediti, ac prompti ad viam. Theophylact. Postquam Dominus, ait, discipulum suum nudauit ab omni sollicitudine, & cupiditate temporalium, plane leuem reddidit, & nunc ministrum suum facit. Seu ut ait D. Chryostomus homil. 15 in Matth. Ostendit Dominus, inquit, quia nemo potest habere lumbos præcinctos ad exendum de hoc mundo, nec lucernas ardentes, nec expectare Dominum suum, nisi qui vendunt, quod habent, & dant eleemosinas. Tanta est eleemosina vis ut nos ducat in cælum, ipsumque ut appropinquantem nos faciat expectare.

Theophyl.

Chryost.

Qui dant eleemosinas solum Dominum expectare possunt.

2.

Syriacus. Arabicus. Vatabl.

Modum præparationis assignat Dominus; sint lumbi vestri præcincti. Abiectis omnibus impediementis, cum omnis virtutis, ac sanctitatis opere estote præparati ad iter faciendum. Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Syriacus, Arabicus, Vatabl. & alij multi prætermittunt, in manibus vestris. Nostra tamè vulgata optime retinet illam dictionem, in multisque exemplaribus habetur, ut cum eis tanquam famuli Christo Domino venienti occurramus, quo denotatur Domini aduentus maxime instans, ut in sequentibus latius explicabo.

QVÆSTIO I.

Quare Dominus suis mandat, ut sint lumbi eorum præcincti?

3.

SYRI, ac Iudæi longioribus, ac prolixis vestibus induebantur, indeque iter facturi, laboraturi, aut ministraturi contrahebant vestes, illarum extrema, vel partes cingulo ad lumbos ducentes. Euthym. Solent, ait, qui aliquid operantur lumbos habere præcinctos, ut expedite operentur. Hoc patet ex num. 37. præcinct se, & transiens ministrabit illis. Et Luc. 18. num. 8. Præcinge te, & ministra. 3. Reg. 18. num. 46. Elias præcinctis lumbis currebat ante Achab. 4. Reg. 4. num. 29. Elisæus dixit puero suo Giezi: Accinge lumbos tuos, & vade. Filius Tobia 5. n. 5. Angelum Raphaellem, ut iuuenem præcinctum, & quasi ad iter paratum inuenit. Hoc posito

Euthym.

Luc. 18. 3. Reg. 18. 4. Reg. 4.

Tob. 5.

4. Tertull. Cyprian. Bostrenf. Euthym. Theophyl.

Non debemus esse desides, sed occupati in Dei obsequio.

Theophyl.

Respondeo primò ad quæstionem cum Tertulliano lib. 4. contra Marci. cap. 29. D. Cypriano de vnitæ Ecclesiæ, & lib. de exhortat. Martyrum. cap. 8. Tito Bostrensi, Euthym. Theophylact. quòd cum immediate antea Dominus fecisset sermonem de Regno cælesti, ad cuius expectationem suos discipulos exhortauerat, nunc verò docet, quo studio, qua vigilia, ac solertia illud debeant expectare, sumpra metaphora à seruis, qui nocte Dominum suum venturum expectant maxima cura, præcincti, ut attenti, ac expediti ad omne opus, ad ministrandumque in omnibus sine vlla mora, & dilatione, cum lucernas accensas habeant, ut non sit necesse in illis accendendis aliquod tempus consumere; Ac proinde adhortatur nos Dominus, ut abiecto omni impediemento, nunquam desides, ac ostiosi simus, semper occupati operibus iustitiæ, ac virtutum, omni operi bono incumbamus; agentes illa, quæ venturo Domino sint grata. Theophylactus, Omnibus

modis, ait, parati estote ad opera Domini vestri. Secundò. Tertullianus lib. 4. contra Marcion cap. 29. succingere debemus, ait, lumbos, id est, expectari esse ab impediementis laboriosa vitæ, & implicita. D. Augustin. lib. 2. quæstion. Euangel. quæst. 25. ait: Docet lumbos præcingere propter continentiam ab amore rerum secularium. Monet Dominus, ut simus expediti ab impediementis earum rerum, quæ humi repunt, & laqueos nobis iniiciunt, & implicent, ut abimus à vitis expurgatus, magno nisu ad Dei obsequium, & dilectionem contendat. Hinc D. Cyrillus Alexandrin. in Catena Diui Thomæ; ait: Succingi significat agilitatem, & promptitudinem ad sustinenda mala intuitu diuini amoris. Preme verba Tertulliani, expediti esse debemus. Qui enim Deo seruit, moras tollat, cunctationem summoueat, alacer, ac celer sit in via Dei; placet ei diligens operatio.

5. Tertull.

Aug.

Cingenda mens, ut ad Dei obsequium feratur.

Cyrril.

Cum diligentia seruandum.

6.

Basil. Hieron. August. Gregor. Beda. Haymon. Bonau.

7.

Nazianz.

Tertiò. D. Basilus in Isai. 15. D. Hieronymus Ezechiel. 16. D. August. serm. 39. de verbis Domini, D. Gregor. homil. 13. in Euangel. Beda, Haymon, D. Bonau. & alij Patres statim citandi mystice intelligunt, lumbos præcingere, carnis scilicet luxuriam, (cuius vi, & feminis origo in lumbis est) per continentiam coarctate, ac refrænare.

In qua sententia Sancti Patres multa præclare dixerunt. Primò D. Gregor. Nazianzen. orat. 39. sint lumbi vestri præcincti; Renes, ait, laudabilem mutationem sentiant, vim totam cupiditatis ad Deum transferentes. Præclare sane. Lumbi, in quibus luxuria petulantia inuenitur, sic castitatis cingulo præcinguntur, ut tota libidinis flamma derelicta castimonie, & quæ lasciuia fomitem ministravit, militet castitati; dum laudabili mutatione ipsa cupiditas edomita ad Deum transferatur magno castitatis splendore, dum ex ipsa lucta lasciuia detestata, illustrior apparet castitas. Secundò. Philippus Abbas lib. in Cantic. cap. 16. Prudens iste artifex, ait, primò velut basim ponit, iacit operis fundamentum: motus fluxus restringere forti cinctorio castitatis, basis quadam est solida, & initium sanctitatis. Exhortatur Dominus suos ad omnem virtutem, ac iustitiam, peculiariter tamen per lumbos præcinctos eis castitatem commendat, hæc enim totius sanctitatis est fundamentum, ac omnis felicitatis præclarum initium; cum ipsæque omnes virtutes confluunt. Tertiò. D. Fulgentius. serm. de hoc Euangelio. Omnis Christianus, ait, præcinctos habeat lumbos, ut fugiat libidinem. Lumbos præcingunt, vestes contrahunt, qui nullo impedimèto fugere curant; omnes virtutes ad cōgressu pugnae milites suos instaurant, & præparant. At verò castitas illis quos victores expetit, non congressum, sed fugam suadet, fuga enim de luxuria illius victoria est.

Ex lucta libidinis illustrior castitas

Philipp. Abb.

Castitas totius virtutis, ac felicitatis initium.

8.

Chrysol.

Quartò. D. Chrysol. serm. 25. Dixisse suffecerat: ait, estote præcincti: cur lumbos potissimum nominat. Cur tanta iubentis reuerentia lumborum facit magnopere mentionem? Quæris quare; Quia in lumbis tota est corporis causa; ex lumbis tota carnis nogoria suscitatur; in lumbis tota est humani lapsus, humana fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis ignaros, efficit seniores. Hinc est ergo, quod principaliter Dominus lumbos nostros astringi iubet baltheo castitatis, & totum carnis nostre pendulum fluidum, resolutum constringi mandat Zona virtutis. Non solum imperat Dominus, ut sui sint præcincti, sed expresse præcipit ut lumbos astringant; qui rem à lapsu, ac ruina vult reformare, ac restaurare, totum suum cogitatum, ac remedium origini,

Radicit malorum remedium applicandum.

origini, ac principio malorum applicat; cum autem in lumbis sit occasio, ac origo totius humanæ miseræ, ac fragilitatis, inde fit quod Divinus Magister nostræ pravitate radici cingulo iustitiæ medicamen adhibet. Et totum carnis nostræ pendulam constringit mandat Zona virtutis. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 119. & tom. 2. cap. 24. num. 83. & tom. 3. cap. 22. quæst. 5. num. 28. 29. & 30. & aliis in locis.

9. Quinto. Cùm Christus Dominus ait suis discipulis. *Sint lumbi vestri præcincti.* Mandat eis, ut carnis appetitus compescant. Suis scribebat Paulus ad Ephes. 4. num. 22. *Deponite veterem hominem.* Seu ut habet Syriacus. *Ut deponatis hominem illum veterem, qui corrumpitur concupiscentiis erroris.* Id est, abiciite à vobis veteres concupiscentias hominis antiqui Adam. At Christus non ait, ut abiciant, & deponant, sed ut præcingant & alligent. Et quamvis in re idem fere sit sensus, tamen ad morale eruditionem nostram verba litteræ expendamus. Cur Paulus suis scribit, ut deponant appetitus; Christus D. verò ut præcingant? Apostolus maximè desiderabat se à carnis concupiscentiis videre liberum. Propter quod terzid est frequenter, ut est communis expositio; *Domine rogavi, ut discederet à me.* 2. Corinth. 12. num. 8. Inde suos discipulos ad monebat, ut eas à se remouerent, & abscederent. Christus autem ordinabat, ut de carnis petulantia sui ad eorum exitium meritum essent victores, ac triumphatores, ideo non ait, ut abiciant, sed ut præcingendo vincant, ac restant appetitus, ut ex ipso luctamine eorum meritum crescat. Paulus optabat esse sine spiritu carnis, illum suos exhortabat, ut deponerent; Christus coronas intendebat, inde mandat appetitus præcingere, ac compescere iuxta vniuersumque affectum, ac ingenium eius doctrina, & eloquium. Cùm Christus esset in monte cum suis Apostolis. Aperiens os suum docebat eos dicens. *Beati pauperes spiritu.* Matth. 5. num. 2. Cùm aperit os, primum eius verbum nullum aliud, nisi: *Beati:* Affectabat Christus, ut omnes essent beati; beatitudinè que repleverunt, inde prima eius vox beatitudinè dicit, sicut in rerum exordio inter prima eius verba benedictio sonat. Tertullianus lib. 4. contra Marc. *Iam hoc ipsum, ait, quod à benedictionibus cepit, creatoris est, qui vniuersa prout edidit, nulla alia voce, quam benedictionis dedicauit.*

10. Sexto. Lumbos præcingere, habitus est se præparantis ad viam, ut notavi in ordine questionis ex Parente Elia, ac Angelo Raphaële, cum ergo lumbos mandat præcingere, iter intendit, ad illudque disponit, sed cur non exprimitur, quo ituri sunt? Dum viro pio, ac fideli terminus viæ absconditur, vehementius inflammatur, ut maiori nixu, ac conatu suum cursum ad Deum intendat. Mandat Deus Abrahamo: *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Genes. 12. num. 1. Cur terminus viæ non aperitur Abrahamo, ut sciat quo pergere debeat; sed veluti anceps, ac perplexus relinquatur de loco ad quem debeat peruenire. D. Basilius Seleucus orat. 7. *Metam celat, ait, ut cursum contendat.* Terminus itineris Patriarchæ absconditur, ut accinctus ad iter, & rotus pendulus è nutu diuino festinatus currat, & minimè quiescat donec sciat, quod vadit, ac ad quem locum pergit. Hoc est fastigium Christianæ pietatis, ac obedientiæ, ut nescientes,

quo vadimus, ad metam velocius contendamus. Septimo. Cùm Christus Dominus suis discipulis ait. *Sint lumbi vestri præcincti.* D. Gregor. Nazianz. orat. 2. de Passione intelligit, quod eis præcipiat, ut militari baltheo armentur. Quorsum Christus D. qui suis mandauit, ut non haberent *peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Matth. 10. n. 10. Nunc eis præcipit, ut militari armatura induantur; dicebat eis: *Lucerna ardentes in manibus vestris.* Per has autem lucernas, ut infra dicam, intelliguntur virtutum opera, ac sapientiæ, doctrinæ, & miraculorum illustrata facta; qui autem inter alios virtutum actionibus nitet, necesse est ut militari baltheo accingatur, ac muniatur, ut inuidiæ, odij, ac malevolentiae iacula repercutere, ac reprimere valeat.

De Anima sancta ait Diuinus Spiritus. *Sicut turris David collum tuum, quæ edificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cantic. 4. num. 4. Apostolus verò Petrus suis discipulis scribens Epistol. 1. cap. 2. num. 5. ait eis: *Et ipsi tanquam lapides vini superadificamini domus spiritualis.* Idemque tradit Diuus Paulus ad Ephes. 2. num. 2. Principes Apostolorum suis discipulis dant documenta, ut se habeant tanquam spiritualem domum, ac habitaculum; Diuinus verò Spiritus ordinar, ut sua sponsa sit veluti turris cum propugnaculis, clypeis, ac omni armatura fortium. Gilbertus Abbas serm. 26. *Vide priuilegium sponsæ, ait, Apostolus Petrus hortatur nos coedificari in domos spirituales: hæc verò non tantum in domum, sed etiam in turrim adificatum, ut sublimis, & securior sit habitatio.* Apostoli disponebant, ut sui discipuli veluti domus confisterent, nam cum huiusmodi discipuli essent humilibus in locis, sat erat, ut tanquam domus existerent, ut odij, ac vanitatis vento resisterent; at anima sancta, per quam Ecclesia Catholica intelligitur, quæ eleuata est super verticem omnium montium, totius orbis princeps constituta, & ut valeat suorum inimicorum machinationi, inuidiæ, ac odio repugnare, & obistere, necesse est, ut tanquam turris munita propugnaculis, clypeis, ac omni armatura erigatur, ac persistat.

Cùm iter faceret per desertum populus Israël, vehementer Res Balac sollicitauit Prophetam Balaam, ut execrationibus impeteret Dei populum, ait ei: *Maledic Jacob: propera, & desferare Israël.* Numer. 23. num. 7. Septuaginta legunt. *Veni maledic mihi Jacob, & veni & super maledic mihi Israël.* Postulat rex à Propheta, ut maledictiones contorqueat in Jacob, maledictiones verò super maledictiones in Israël. Idemmet populus significatur, in Jacob & in Israël; cur ergo prore Iacob maledictiones sufficiunt, prore verò Israël diriora aduersus eum exoptantur super maledictiones? Origenes homil. 15. in Numer. *Donec, ait, quis tantum Iacob est, hoc est in actibus inferioribus positus, maledictionibus impugnatur. Vbi autem profecerit, & interioriorem hominem ad videndum Deum reuelato mentis oculo excreuerit, tunc non solum maledictis ab inimico, sed & super maledictis, hoc est vehementioribus maledictorum iaculis impugnatur.* Prore populus significabatur in Iacob, humilis, ac in minoribus potius denotabatur, indeque aduersus eum maledictiones sufficerent, reputabatur; at verò prore Israël dicebatur, in quo representabatur vir magnus, & fortis, ac videns Deum, tanto robore præditus, ut per totam noctem luctamen

11. Greg. Naz.

Matth. 10.

Qui virtute nitet contra odium, ac in diuinitatem armatur.

12. Cantic. 4. 1. Petri. 2. Ephes. 2.

Gilbertus.

Excelsus virtus magno propugnaculo indiget.

13. Num. 23. Septuaginta.

Origenes.

Præclaræ magnitudo multum ab inimicis impugnatur.

men cum Deo contulerit; vit tam præclarus, & excelsus non solum à suis inimicis impugnatur, & impetitur maledictis, sed etiam super maledictionibus, ac etiam maioribus execrationibus.

QUESTIO II.

Quare suos alloquens Dominus non de vestitu, sed tantum de præcinctorio facit mentionem?

14. Chrylog.

QUESTIONEM hanc præclare excitat D. Chryl. serm. 24. *Nouus ordo vigiliarum, ait, nouus habitus imperatur.* Sint lumbi vestri præcincti. Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursum apparatu serui vigiles admonentur, sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in præcingendis lumbis statuitur vis præcepti: Subdens quid in præcinctu isto insinuetur, ait: cingulum quidem est indicium seruitutis; quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes. Nihil de vestitu, ac zona, nihil de capitis operimento, ac calceamentis, nihil de ipsius occursum apparatu illis mandatur sed tantum vna eis imponitur cura, ut expediti, ut obsequentes, ut in procinctu sint ad seruiendum, & ministrandum, ut seruire sit eorum finis, ac scopus. Hic habitus ab Angelis in homines est dilapsus, ut probat Raphaël Archangelus, de quo Tobia. 5. num. 5. dicitur. *Inuenit Tobias inueniens splendidum, stantem præcinctum quasi paratum ab ambulandum.* Nihil de vestitu, nec mercede, viatico, seu pera, sed tantum hoc vnum de illo animaduertitur, quod in procinctu esset, paratus, ac intentus ad ambulandum, ac seruiendum. Videndus locus infra, quæst. 1. in principio.

15. Apocal. 4.

Vir spiritualis sic inservit, ut seruire sit eius finis. Tob 5.

Prompta obedientia.

Aristot.

Hugo.

In horum quies Deo seruire.

dicti, ut nihil aliud intenderent, nisi obsequium præstare, ad cuius exhibitionem tota eorum quies, ac finis ordinabatur.

Maximè Iosue gloria, qui post multo labore, ac vigilia victorias partas, post introductum Israël in terram promissionis, post distributas prouincias, nil sibi retinuit, nil sibi de tot terris acquisitis elegit, ut patet Ios. 19. Quod meditatus Theodoretus 17. in Iosue ait: *Quare perdisimus Iosue, cum alyis terram dispartiret, sibi non distribuit aliquam portionem? imitatus est in eo modestiam Domini, qui extremam expertus est inopiam, ita ut nec domum quidem haberet: filius, inquit, hominis non habet, ubi reclinet caput suum.* Tam sublime, & excelsum est seruire, ut seruiat, nulla sibi inde utilitate spectata, quod dum Iosue è tot terris sibi deuidis, nil sibi comparauerit, non hoc ab humano dictamine veniebat, sed ab halitu spiritus Iesu, cuius typum gerebat: *Qui propter nos egenus factus est, cum esset diues.* 2. Corinth. 8. num. 9. Qui modestiam, ac molestiam paupertatis libenter sustinuit, nullum sibi commodum quærens, sed tantum intendebat, ut seruiens Patri obediret, ac hominibus salutem ministraret.

16. Iosue. 19. Theodor.

Laborare non considerato præmio ex seruitu Iesu venit.

2. Corinth. 8.

17. Compone inter se duo Dei mandata facta Abrahamo. Primum, ait ei Deus. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, faciamq. te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq. benedictus; in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Genes. 12. num. 1. Secundum mandatum; ait illi Deus. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram Visionis, atque offeres ibi eum in holocaustum.* Genes. 22. num. 2. Ecce in primo mandato multa bona ei promittuntur, ut patet ex littera, imò & ipsa Diuini Verbi Incarnatio, ut communiter Patres intelligunt illa verba. *In te benedicentur omnes gentes.* At verò cùm secundum præceptum imponitur de filio sacrificando nulla merces ei assignatur. Cur ergo cùm in primo mandato tot proponantur præmia; in hoc verò secundo nullum pollicetur, cum nihil esset durius, quam filium vnicum, & valde dilectum propriis manibus sacrificare? Cùm dicitur Abrahamo, ut exeat de terra sua, erat ipse veluti incipiens, ac in virtutis tyrocinio; cum autem iubetur filium in holocausto offerre, iam multum profecerat, & in iustitia, ac sanctitate valde perfectus, ac magnus extabat: si autem ut incipiens tantis præmiis fuit animandus, ac corroborandus, minimè verò ut grandis factus in via Dei, illis indigebat, sed pro mercede erat ei obedire, hoc tantum intendens ut adimpleret Domini mandatum etiam iubentis filium sacrificare. D. Chrysolom. homil. 47. in Gen. *Gratus famulus, ait, omnia omni ratione humana, vnam rem tantum curabas, ut imperata impleret opere.*

QUESTIO III.

Quare Christus apparet in Apocalypsi præcinctus ad mammillas zona aurea, suis verò mandat lumbis præcingi?

IN LIMINE huius quæst. notandum est, quod dum Christus Dominus suis mandat, ut sint lumbis præcincti, eos monet, ut omnibus virtutibus instructi, ac parati sint; ut late dixi. quæst. 1.

18.